SANCTISSIMI D. N. DOMINI

CLEMENTIS

Diuina Prouidentia

PAPÆ XI.

Declaratio Nullitatis, damnatio, abolitio, & reprobatio Edicti promulgati à quodam Delegato aſſerti Tribunalis Monarchiæ Siculæ nuncupati ſuper abrogatione Eccleſiaſtici Interdicti, cui R. P. D. Andreas Epiſcopus Catanienſis Ciuitatem, & Diœceſim Catanien. in actu ſuæ ab eis expulſionis, per manifeſtum Sæcularis Poteſtatis abuſum ſecutæ ſubiecerat: cum varijs Ordinationibus ſuper exacta obſeruantia eiuſdem Interdicti, & inſuper cum Decreto, & Declaratione, quod ij, qui ſiuè expulſionis prædicti Epiſcopi, ſiuè memorati Edicti, aliorumue à dicto Delegato geſtorum ratione Eccleſiaſticas Cenſuras quouis modo incurrerunt, poſt debitam Eccleſiæ præſtitam ſatisfactionem, nonniſi à Sede Apoſtolica abſolutionis beneficium obtinere valeant.







ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apoſt. 1713.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

AD Apostolatus nostri notitiam, non sine graui animi nostri molestiâ, nouissimè peruenit, quòd cùm aliàs, videlicet mense Aprili proximè præterito, Venerabilis Frater Andreas Episcopus Cataniensis, non alterius profectò criminis reus, nisi quod, authoritate, ac libertate Ecclesiasticâ strenuè assertâ, Ministerium suum diligentèr impleuerat, & quo par erat obsequio, ac fide nostris, Sanctæque huius Sedis mandatis obtemperauerat, per summam iniuriam, ac intolerabilem Laicalis potestatis abusum, de quo Nobis per concludentissimas, omnique exceptione maiores probationes plenè constat, è suâ Ciuitate, ac Diœcesi Catanien., totoque Regno Siciliæ expulsus fuerit; Ipseque in actu eiusmodi suæ expulsionis Iosephum la Rosa Sargentem Maiorem nuncupatum, eò quia cum armatorum Militum turmâ, nedum Episcopale Palatium circumsederat, sed ipsa etiam interiora cubicula eiusdem Andreæ Episcopi inuaserat, eique literas quasdam à Sæculari potestate dicti Regni expeditas, quibus illi asperè non minus, quàm minacitèr præcipiebatur, vt intrà vigintiquatuor horas è Ciuitate præfatâ, intrà verò duos dies è toto dicto Regno exire deberet, temerè præsentauerat, seque alioquì ea, quæ sibi data fuerant, mandata omninò executurum esse addere non erubuerat: in Excommunicationem maiorem à Constitutionibus Apostolicis, & speciatìm illâ quotannis in die Cœnæ Domini legi solitâ contra similia perpetrantes inflictam, vnâ cum præfatis Militibus, ac eorum Ductore, seu Capitaneo incidisse declarauerit, ac insuper Ciuitatem, & Diœcesim Catanien. prædictas Ecclesiastico Interdicto subiecerit; Tametsi hæc omnia à memorato Andrea Episcopo ritè, ac rectè, necnon iuxtà Sacrorum Canonum præscriptum,

 imò

imò etiam de speciali mandato nostro, peracta fuerint: nihilominùs paucos post dies, nempè mense Maio mox elapso, quidam Caietanus Buglio, asserens se specialem prætensi Tribunalis Monarchiæ Siculæ nuncupati, illiusque asserti Iudicis ad infrascripta Delegatum existere, Edictum quoddam in dicta Ciuitate Catanien. promulgari fecit, per quod non minùs temerario, & execrando ausu, quàm falsis, & ineptis rationibus, generale Interdictum, cui præfatus Andreas Episcopus Ciuitatem, ac Diœcesim supradictas, sicùt præmittitur, supposuerat, nullum, irritum, iniustum, illegitimum, insubsistens, nulliusque roboris, & efficaciæ declarauit, illoque propterea minimè attento, vt Ecclesiæ omnes tàm Sæculares, quàm Regulares Ciuitatis, & Diœcesis præfatarum apertæ, vt priùs, retineri, ac in illis Missæ, & alia Diuina Officia celebrari, necnon Christifidelibus Ecclesiæ Sacramenta administrari deberent, perindè ac si Interdictum huiusmodi nunquam emanasset, districtè mandauit; & aliàs, prout vberiùs continetur in præfato Edicto, quod non alio quidem, quàm illud penitùs, & omninò reprobandi animo, præsentibus inserendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet = NOS VTRIVSQVE IVRIS DOCTOR DON CAIETANVS BVGLIO Decanus, ac Prima Dignitas Sanctæ Prothometropolitanæ Ecclesiæ Messanensis, & in eadem Vrbe Commissarius Ordinarius Tribunalis Sancti Officij Sanctissimæ Inquisitionis, & Delegatus Tribunalis Regiæ Monarchiæ huius Siciliæ Regni non solùm Ordinarius in dicta Vrbe Messanæ, verùm etiam seriò ad infrascripta constitutus vigore literarum datarum Panormi die 25. Aprilis 6. Ind. 1713. præsentatarum, executarum, & registratarum in hac Vrbe Catanæ die quinto præsentis mensis Maij 1713. ad quas &c. Omnibus, & singulis Christifidelibus vtriusque Sexus huius prædictæ Vrbis, eiusque Diœcesis salutem in Domino sempiternam = *Essendo venuto alla notizia del Reuerendissimo Abbate D. D. Francesco Miranda Giudice del Tribunale della Regia Monarchia, che intimato il Reuerendissimo D. Andrea Riggio Vescouo di Catania d'ordine di S. E. à partirsi da questo Fedelissimo Regno per li giusti motiui, che mossero il suo animo, concernenti al Real Seruigio, publico bene, e quiete del Regno perturbata dal medemo Prelato, tanto che obligorono alla prefata E. S. con matura risflessione, ed euidente giustizia à valersi della potestà economica contro il nominato Prelato, il quale con lo scudo specioso da lui ideato d'essere stata lesa la libertà Ecclesiastica, ed esercitando il suo connaturale mal genio verso il Real Seruigio, e publico bene del Regno, fingendo violenze vsatele dal Sargento Maggiore D. Giuseppe la Rosa, passò con disconsuolo di*

tutti

tutti li Fedeli del Regno à dichiarare escomunicato al riferito di la Rosa, al Capitano, e Soldati, che l'assisteuano, e parimente ad interdire questa Cattedrale, e tutte le Chiese della Diocesi, con suppośizione di esser vedouata del proprio Pastore, senza riflettere le graui conseguenze può partorire vn tanto scandaloso attentato contro il Seruigio Reale, e potestà economica, ma anche totalmente irregolare, assolutamente de facto, nullo Iuris ordine seruato, e contro la forma de' Sagri Canoni per mancanza delli requisiti dell'interdetto, e per consequenza includendo manifesta ingiustizia, notoria insussistenza, ed euidente nullità; Si hà stimato perciò da detto Reuerendissimo Monsignor Giudice della Regia Monarchia prouedere di opportuno rimedio, riparando col suo Zelo non solo alli pregiudizij del Real Seruigio, ma anche à quelli delli Popoli della Diocesi di Catania, che sono stati tanto ingiustamente lesi dal sudetto Prelato suo Pastore contro la carità Pastorale, che douea pratticare, hà deliberato commetter a Noi la sua Autorità, e Potestà, ac vices, & voces suas, & Tribunalis Regia Monarchia con ordinarci, che douessimo passare in questa Città, e qualsiuoglia altra parte della Diocesi, e leuare, e far leuare il sudetto interdetto, e qualsiuoglia cedulone affissato, e dichiarare ex commissione speciali l'istesso interdetto, nullo, ingiusto, illegitimo, ed insussistente. Per tanto Noi valendoci della sopradetta Potestà amplissima in dette lettere sopracitate, come speciale Delegato in questo negozio, e causa, dichiariamo per il presente nostro Editto authoritate qua supra, nullo, inginsto, illegitimo, insussistente, irrito, e di nessuna forza, e valore il cennato interdetto, ed ordiniamo in virtù della facoltà à Noi specialmente, come si ha detto, concessa, à tutti li Superiori delle Chiese tanto Regolari, quanto Secolari, Parochi, Beneficiali, Cappellani, Sacerdoti, e Chierici, che non ostante il sudetto interdetto, stante la sua notoria ingiustizia, nullità, ed insussistenza, douessero tenere le Chiese aperte, ed iui celebrare, e far celebrare li Diuini Officij, e Messe, come si faceua prima del sudetto ingiusto, nullo, ed insussistente interdetto, ed amministrare a tutti li Fedeli li Santi Sacramenti della Santa Chiesa, come prima, e come se mai vi fosse stato detto interdetto nullo, ingiusto, ed insussistente, e questo sotto la pena alli Contrauentori, e disobedienti della Scommunica Maggiore riseruata al sudetto Reuerendissimo Giudice della Regia Monarchia, della disgrazia di S. M., ed altre pene a Noi benuiste, e non altrimente == Affigatur == Doctor D. Caietanus Buglio Delegatus Ordinarius, & Delegatus Specialis == Ioannes Baptista Perino Magister Notarius == Cùm autem manifestum prorsùs sit, nec quisquam inficiari valeat, ex prædicti Andreæ Episcopi detestabili expulsione acerbissimum Ecclesiæ, illiusque Iuribus

vulnus illatum fuisse: ac similitèr exploratum sit, nullum Iudicem quacumque tandem potestate, & authoritate suffultum, quotiès de Excommunicatione, Interdicto, alijsue Censuris ex causâ læsę, seu violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ latis agi contingit, in illarum validitatis, seu inualiditatis, iustitiæ, seu iniustitiæ cognitionem, quæ nonnisi Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, necnon Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & Controuersijs Iurisdictionalibus præpositæ, ac ad similia examinanda per Sedem Apostolicam deputatæ, reseruata est, sese ingerere vllatenùs potuisse, seu posse; adeoque præmissa in maximam plurimorum perniciem, ac scandalum tendant, animasque pretioso Saluatoris, & Domini Nostri IESV Christi Sanguine redemptas in grauissima pericula, & errores conijcere, ac deplorandis malis inuoluere valeant. Hinc est, quod Nos, qui Iurium Ecclesiasticorum Assertores in Terris à Domino constituti sumus, omniumque Christifidelium curam, & solicitudinem supernâ dispositione gerimus, libertatem, Immunitatem, & Iurisdictionem Ecclesiasticam ab eiusmodi nefarijs, ac perniciosis conatibus sartam, tectamque, atque illibatam tueri, & conseruare, nec non Animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quouis modo decreta, iussa, ordinata, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggrauantes, nec non præfatorum, ac quorumuis aliorum Tribunalium, Iudicum, Ministrorum etiam principalium, seu supremorum, Officialium, Notariorum, Scribarum, & personarum quarumcumque in eisdem præmissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliaue quæcumque etiam specificam, & indiuiduam mentionem, ac expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & singillatim specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Edictum præinsertum, ac quæcumque in eo contenta, nec non alia per memoratum Caietanum Buglio eâ occasione vigore suæ assertæ delegationis acta, gesta, & ordinata, cum omnibus, & singulis indè secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omninò nulla, irrita, inualida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque omninò roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neque illa à quoquam obseruari posse, vel potuisse, adeoque nec vllum statum facere, vel fecisse, sed perindè acsi nunquam emanas-

naſſent, nec facta fuiſſent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore præſentium declaramus: Et nihilominùs ad maiorem, & abundantiorem cautelam, & quatenùs opus ſit, illa omnia, & ſingula harum ſerie damnamus, reprobamus, reuocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, reuocatis, caſſatis, irritis, nullis, inualidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacuis ſemper haberi volumus, & mandamus. Præterea, tametſi de perſpectâ Nationis Siculæ pietate, illiuſque veteri in Eccleſiam, atque hanc Apoſtolicam Sedem deuotione tam præclarè ſentiamus, vt minimè dubitemus Chriſtifideles illarum partium, ac præſertim Ciuitatis, & Diœceſis Catanien. præfatarum Incolas, etiam eiuſmodi noſtrâ declaratione minimè expectatâ, præfatum edictum, aliaque per dictum Caietanum geſta pro irritis, & inualidis, nulliuſque prorsùs roboris, ac valoris iam habuiſſe, & in poſterum habituros eſſe: adeoquè omnia è conuerſo per ſupradictum Andream Epiſcopum acta, & ordinata, religioſè, ac exactè obſeruaſſe, & obſeruaturos eſſe; nihilominùs ad maiorem ſimiliter cautelam, generale Interdictum, cui præfatus Andreas Epiſcopus Ciuitatem, & Diœceſim ſupradictas, ſicùt præmittitur, ſubiecit, nec non cenſuras, ſeu declarationes excommunicationis ab eo contrà ſuos Expulſores promulgatas pro validis, & iuſtis habentes, ipſumque Interdictum, ac cenſuras, ſeu declarationes huiuſmodi authoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtrâ approbantes, & confirmantes, ac aduersùs præmiſſa, quatenùs opus ſit, renouantes; Motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, omnes, & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas tam ſæculares cuiuſuis gradus, præeminentiæ, ac dignitatis fuerint, quàm cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Ieſu, Regulares ad exactam eiuſdem Interdicti obſeruantiam omninò teneri, & obligatas exiſtere, & fore, itaùt in quibuſuis Eccleſijs, locis pijs, Oratorijs etiam priuatis, ac Cappellis Domeſticis Ciuitatis, & Diœceſis prædictarum, prætensâ etiam aſſertæ Monarchiæ Siculæ authoritate munitis, ſiue aliàs quocumque priuilegio, exemptione, & Indulto, etiam prætenſæ protectionis Regiæ, ſeu prætenſi Iuriſpatronatus Regij, tametſi pluries, ac quantiſcumque vicibus ab hac Sancta Sede approbati, ſuffultis, nec Miſſæ, nec alia Diuina Officia celebrari, neque SS. Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrari, minuſque fidelium defunctorum cadauera ſepeliri, aliaue tempore Interdicti prohibita exerceri, niſi temporibus, caſibus, & modis per ſupradictos Sacros Canones permiſſis, vllo modo valeant,

earun-

earundem pariter tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Ad hæc omnes, & singulos quantumuis exemptos, & quouis modo priuilegiatos, qui statuto, decreto, & ordinationi nostris huiusmodi sub quouis quæsito colore, ratione, aut prætextu quomodolibet contrauenerint, quocumque tandèm titulo, munere, aut dignitate præfulgeant, eo ipso, & absque alia declaratione in Censuras, & pœnas Ecclesiasticas per præfatos Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas desuper latas, & impositas incidisse, illisque innodatos fuisse, & esse, ac fore, nec ab eis à quoquam, nisi à Nobis, seù Romano Pontifice pro tempore existente [præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia in easdem Censuras, & pœnas eo ipso, quo conualuerint] absolui, & liberari posse, harum serie similiter statuimus. Cæterùm, cum notorij Iuris sit non tam eos, quos præfatus Andreas Episcopus in actu suæ expulsionis excommunicatos declarauit, quàm supradictum Caietanum Buglio, nec non Ioannem Baptistam Perino Notarium, qui præinserto Edicto subscripsit, aliosque omnes, & singulos, cuiuscumque status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, & dignitatis quantumcumque excelsæ, ac sublimis fuerint, qui siue Andreæ Episcopi expulsionem huiusmodi, siuè gesta per eumdem Caietanum quouis modo mandarunt, ac ordinarunt, seù illis consilium, auxilium, fauorem, vel quamuis aliam damnabilem operam præstiterunt, aut in eorum sequelam, & executionem gesta approbarunt, & rata habuerunt, seù aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, Censuras omnes, & pœnas Ecclesiasticas à Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cænæ Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis inflictas, eo ipso incurrisse; Nouerint idcircò illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, à censuris, & pœnis huiusmodi post debitam, ac condignam Ecclesiæ realiter, & cum effectu præstitam satisfactionem, nonnisi à Nobis, seù Romano Pontifice pro tempore existente [præterquàm in mortis articulo constituti, nec etiàm tùnc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, atque cum reincidentia eò ipso, quo conualuerint] absolui, & liberari posse, proùt earumdem tenore præsentium decernimus paritèr, & declaramus. Facultatem insupèr quandocumque procedendi ad alia seueriora remedia, quatenùs prædicti Ecclesiasticæ libertatis Violatores in sua contumacia persistentes Censuras, & pœnas huiusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, Nobis, & eidem Apostolicæ Sedi expresse reseruantes. Ac decernentes paritèr easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alij

qui-

quicunque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes cuiusuis status, gradus, ordinis, præeminentiæ,& dignitatis existant, seù aliàs specificâ,& indiuiduâ mentione,& expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, proptèr quas præsentes emanarint, sufficientèr adductæ, verificatæ, & iustificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiàm quantumuis iuridica, & priuilegiata causâ, colore, prætextu, & capite, etiàm in corpore iuris clauso, etiàm enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ,vel interesse habentium consensus, alioue quolibet, etiàm quantumuis magno, & substantiali, ac inexcogitato,& inexcogitabili, indiuiduamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, inualidari, retractari, in controuersiam vocari, aut ad terminos Iuris reduci,seù aduersùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudue quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seù etiàm motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in Iudicio, vel extrà illud vti, seù se iuuare vllo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas,validas, & efficaces existere, & fore, ac quibuscunque iuris, seù facti defectibus, qui aduersùs illas à sæculari potissimùm potestate, seù prædicto assertæ Monarchiæ Siculæ Tribunali ad effectum impediendi, seù retardandi earum executionem,quouis modo,seù ex quauis causa opponi,seù obijci possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Easque propterea, omnibus, & singulis per eamdem sæcularem potestatem, siuè per idem assertum Tribunal quomodolibet allatis, seù afferendis impedimentis penitùs, & omninò reiectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inuiolabilitèr, & inconcusè obseruari; Sicque, & non alitèr in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiàm Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales,etiàm de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosue quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros: sublatâ eis,& eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi,& interpretandi facultate,& authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inanè, si secùs super his à quoquam quauis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstan. præmissis, & quatenùs opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Iure quæsito non tollendo, alijsque Apostolicis, ac in Vniuersalibus, Prouincialibusque, & Synodalibus Concilijs

hijs editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus; & Ordinationibus; necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum etiàm Iesu, & quorumuis Monasteriorum, Conuentuum, Ecclesiarum, Locorum Piorum, alijsue quibusuis etiàm Iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus, quantumcumque longissimis, & immemorabilibus: Priuilegijs quoque, Indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Iesu, ac Monasterijs, Conuentibus, Ecclesijs, & Locis Pijs prædictis, illorumque respectiuè Superioribus alijsue quibuslibet personis, etiam quantumuis sublimibus, & specialissima mentione dignis, à Sede prædicta ex quacumque causa etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, seù ad quarumcunque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliâue qualibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seù alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innouatis, etiam continentibus, quod excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Priuilegijs, & Indultis huiusmodi mentionem. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seùquæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ obseruatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deueniant, volumus illas, seù earum exempla ad valuas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in aciæ Campi Floræ de Vrbe, vt moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affi-

xas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac ſi vnicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; Vtquè ipſarum literarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides tàm in Iudicio, quàm extrà illud vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die xvij. Iunij M.DCCXIII. Pontificatus Noſtri Anno xiij.

F. Oliuerius.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die verò vigeſima Auguſti, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Diuina prouidentia Papæ XI. Anno decimo tertio ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ Lateranen., & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Ludouicum Capellum Apoſtolicum Curſ.

Antonius Placentinus Mag. Curſ.